34. 2. F. 3

ΠΥΘΑΓΟΡΟΥ ΧΡΥΣΑ ΕΠΗ.

PYTHAGORAE AVREA CARMINA.

In eadem commentarioli Stephani Nigri.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

Δεῦτε μοι φρονίδες σοφώτεροι.

PARISIIS, M. D. LV.

Apud Guilielmum Morelium.

STEPHANVS NIGER ingenuis pueris Lazaro ac Georgio ampliſsimi ſenatus Mediolanenſis principis filijs, S. P. D.

EGo ſemper in ea fui opinione, vt neminem in vlla re præſtantem atque eximium euaſurum exiſtimauerim, niſi in ea à teneris vſque annis verſatus fuerit. quis enim optimũ architectum, peritum agricolam vnquam nouit, quin ab ineunte ſtatim ætate vel puériles domũculas ædificauerit, vel terram ludendo coluerit? Achilles non vnquã tantum ſibi nomen in gerendo bello cõparaſſet, ni ab ipſa infantia ſub Chirone Cẽtauro educatus minima prius tela iaculari, minorem haſtã, paruulum pertractare enſem didiciſſet: quod me hercule in omni diſciplinarum genere faciẽdum eſt. Quare cum vobis ad ampliſſimi viri patris veſtri æmulationem, non architecturæ aut agrorum cultui, ſed ingenuis moribus optimísque inſtitutis ac liberalibus diſciplinis vacandum ſit, aureum iſtud opuſculum aureis præceptis refertũ ad vtrunque mittere conſtitui, cui ſæpiſsime perlegendo, ſi in iſta ætate aſsiduam operam nauabitis, nec ab

eius ſanctiſsimis mandatis recedere cõſtituetis, non dubito fore quin veſtra puerili ætate optimis imbuta moribus, reliquas quoque ætates ſanctiſsime, ac pientiſsime degatis, ampliſsimúmque patrem veſtrum vſquequaque referatis. ſunt enim Pythagoræ præcepta Latino per nos donata ſermone, additis etiam commentariolis noſtris, vnde haud minorem vt ſpero vtilitatem conſequemini. Ea enim dicere conatus ſum quæ ad veſtram vtriuſque optime inſtituendam ætatem mihi facere videbantur.

ΧΡΥΣΑ ΕΠΗ ΠΥΘΑΓΟΡΟΥ.



Θανάτοις μὴ πρόσπτα θεοὺς νό-
μῳ ὡς διάκεινται,
Τίμα· καὶ σέβ' ὅρκον, ἔπειθ' ἥρωας ἀγαυούς·
Τοὺς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας ἔννομα ῥέζων·
Τοὺς τε γονεῖς τίμα, τούς τ' ἄγχιστ' ἐκγεγαῶτας.
Τῶν δ' ἄλλων ἀρετὴν ποιοῦ φίλον ὅστις ἄριστος.
Γεραίρου δ' εἴκε λόγοις ἔργοισί τ' ἐπωφελίμοισι.
Μηδ' ἔχθαιρε φίλον σὸν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς,
ἐν δυνῇ· δυνάμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει.
Ταῦτα μὲν ὅπως ἴσθι· κρατεῖν δὲ ἐθίζεο τῶνδε,
γαστρὸς μὲν πρώτιστα, ἔπειτα, λαγνείης τε,
Καὶ θυμοῦ· πρήξεις δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου,
Μήτ' ἰδίῃ. πάντων δὲ μάλιστ' αἰδοῦ σεαυτόν.
Εἶτα δικαιοσύνῃ ἀσκεῖν ἔργῳ τε λόγῳ τε·
Μηδ' ἀλογίστως σαυτὸν ἔθιν πρὸς μηδὲν ἐθίζου·
Ἀλλὰ γνῶθι μὲν ὡς θανέειν πέπρωται ἅπασι·
Χρήματα δ' ἄλλοτε μὲν κτᾶσθαι φίλον, ἄλλοτ' ὀλέσθαι.
Οσσά τε δαιμονίοισι τύχαις βροτοὶ ἄλγε' ἔχουσιν,
Ὧν αἶσαν μοῖραν ἔχῃς, πρήως φέρε, μηδ' ἀγανάκτει·
Ἰᾶσθαι δὲ πρέπει καθ' ὅσον δύνῃ· ὧδε δὲ φρόνει·
Οὐ πάντῃ τοῖς ἀγαθοῖς τούτων πολὺ μοῖρα δίδωσι.
Πολλοὶ δ' ἀνθρώποισι λόγοι δηλοί τε κἀδηλοί
Προσπίπτουσ', ὧν μήτ' ἐκπλήσσεο, μήτ' ἄρ' ἐάσῃς

Εἴρεσθαι σαυτὸν, ψεῦδός τ' ἠὲ μὴν πέρ τι λέγηται,
Πρᾴως ἴχ'· ὅ δέ τοι ἐρέω, ὅπη παντὶ τελείεται.
Μηδείς μήτε λόγῳ σε παρείπῃ, μήτε τι ἔργῳ.
Γρῆξαι μηδ' εἰπεῖν, ὅ, τί τοι μὴ βέλτερον ᾖσι.
Βουλὴν δὲ σοὶ ἔρχευ, ὅπως μή μοι σὲ πέληται.
Δφλῶ τοι χρήσειν τε λέγειν τ' αἰόντα σοῖς αὐδρός·
Αλλὰ τά τ' ἐκπλείειν, ἃ σε μὴ μετέπειτ' ἀνίσῃ
Γρῆσαι δὲ μηδὲν πρὶν μὴ ὄπίσασαι, ἀλλὰ δι δάσκου
Οσσα χρεών· καὶ περπόταπον βίον ὥς δὲ διάξεις.
Ουδ' ὑγιείης τ' ἀμέλειαν ἔχειν χρή.
Αλλὰ ποσὶ πείθου καὶ σίτου γυμνασίων τε
Γοιεῖσθαι· μείζον δὲ λέγω τόδ', ὃ μή σ' ἀνίσῃ.
Εἰδίζου δὲ δίαιταν ἔχειν καθαρειον, ἄθρυπτον.
Καὶ πφύλαξό γε ταῦτα ποιεῖν, ὁπόσα φθόνον ἴσχει.
Μὴ δαπανᾶν πρὸς καιρὸν, ὁπῖα καλῶν, ἀδαήμων·
Μηδ' αὖ ἐλεύθερος ἴσθι, μείζον δ' ὅπῃ πᾶσιν ἄρισον.
Πρῆσαι δὲ ταῦθ' ἃ σε μὴ βλάψῃ· λόγισαι δ' ἐπὶ
Μηδ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι πρὸς δέξασθαι,
Πρὶν πρὸς ἡμερινῶν ἔργων τείς ἕκαστα ἐπέλθῃ.
Γῆ παρέβλω, πῇ δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐπέλεσθη.
Αρξάμενος δ' ἀπὸ πρώτου ἐπέξιθι καὶ μετέπειτα·
Δειλὰ μὲν ἐκπρήξας, ὅπῃ πλήσατο· χρηστὰ δὲ, πέρ που.
Ταῦτα πόνει, ταῦτ' ἐκμελέτα, τοῦτων χρὴ ἐράν σε·
Ταῦτά σε τῆς θείης ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.
Ναὶ μὰ τ' ἀμετέρῃ ψυχᾷ πρώτιστα δόντα τετιχθαι,
Γαχὴν αἰενάου φύσεως. ἀλλ' ἔρχευ ἐπ' ἔργον,
Θεοῖσιν ἐπευξάμενος τελέσαι· τούτων δὲ κρατήσας,
Γνώσῃ ἀθανάτων τε θεῶν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων
Σύσασιν, ἤ τι ἕκαστα διέρχεται, ἤ τι κραπῖται·
Γνώσῃ δ' ἠμὶς ὅτι φύσιν πρὸς πάντας ὁμοίως·

τέ σε μήτε ἄελπτ' ἐλπίζειν, μήτε π λήθην·
κόσμοι δ' αὐθρώποις αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας.
λήμονες, οἵ τ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐκ ἐσορῶσιν,
οὔτε κλύουσι· λύσιν δὲ κακῶν παῦροι σωίσασι.
οίη μοῖρα βροτῶν βλάπτει φρένας· οἱ δ' ἀκλίνδροις
λοτ' ἐπ' ἄλλα φέρονται, ἀπείρονα πήματ' ἔχοντες.
υχρὴ γὰρ σωοπαδὸς ἔρις βλάπτουσα λέληθε
ύμφυτος, ἣν ἀ δεῖ τεθμαίρειν, εἰκοντα δὲ φεύγειν.
βῦ πάτερ ἢ πολλῶν με κακῶν λύσας ἅπαντας,
πᾶσιν δείξαις, οἵῳ τῷ δαίμονι χρῶνται.
λλὰ σὺ θάρσει, ἐπεὶ θεῖον γένος ὀθνεῖοι βροτοῖσιν,
οἷς ἱερὰ τεθφέρουσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα·
ὧν εἴ σοί γε μέτεισι, κρατήσεις ὧν σε κελεύω
ἐξικέσας, ψυχὴν δὲ πόνων ἀπὸ τῶνδε σαώσεις.
ὰ ἔργου βρωτῶν ὧν εἴπομεν, ἔν τε καθαρμοῖς
τε λύσει ψυχῆς κρίνων, καὶ φέρζεν ἕκαστα,
σχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀείσην.
δ' ἀπολείψας σῶμα εἰς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
ἔσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος, οὐκ ἔτι θνητός.

Θαυάσιος μὲν πρῶτον θεοὺς τοὺς νόμῳ ὡς διάκεινται

Τίμα, i. Primum omnium immortales deos vti sese habent legitimè cole.

Saluberrimis humanam vitam præceptis philosophorum præstantissimus Pythagoras instruere atque ornare aggressus, à diuinarũ rerũ cultu, id est à religione sumpsit exordium. Nec me hercule immerito. nouerat enim vir maximo ingenio, summáque doctrina præditus, beatę sanctęque vitæ fundamẽtum deorum esse veneration̄. nam si & omnia & nos ipsi à dijs immortalibus ortum duximus, nulli profecto est dubium, quin & nostra omnia, & nosmet ipsos dijs debeamus. Cęterũ cũ nihil sit quod à nobis diis immortalibus gratius iucũdiusque præstari possit, quàm vt nos gratos esse ostẽdamus, nostrãque in eos gratitudinem vno demũ religionis cultu illis significare valeamus, non iniuria Pythagoras nos omnium primũ deos esse colendos docuit, idque ut sese habẽt legitime faciẽdũ admonuit. Neque enim vnicuiq; pro arbitrio nouos fingere deos, nouos religionis ritus ĩducere licet, sed secũdũ maiorũ leges colẽdi patrijsq; moribus atq; institutis

vnumquenque vitam agere oportet. neque enim maiorum leges contemnendæ, quarum latores vsque adeo sacti, ac pij inter mortales habiti, vt cõmercium cum diis immortalibus habuisse crediti sint, eorúmque nõnulli deorũ nomen ac cultum viuendo quoque sibi cõparauerint. nam apud Ægyptios Minas suarum legum Mercurium auctorem finxit, Minos apud Cretenses Iouem, Lycurgus apud Lacedęmonios Apollinem, Zamolxis apud Getas Vestam, Moses apud Iudæos verum deum. Darius Xerxis pater, sextꝰ apud Ægyptios legumlator, deus appellatus est, Numa Pompilius Romanorum rex secũdus à dea Egeria, vel vt alii volunt, ab una ex Musis leges accepisse dicitur. quod si tantum & legibus, & legumlatoribus à veteribus illis tributum est, nonne & nos maiorum nostrorum vestigia sequentes, eas & obseruare & venerari debemus, illísque semper parêre? nam ad mortalium emolumentum conditę, ac perlatę sunt, nullaque est lex quæ, Plutarcho affirmãte, ad humanæ vitæ nõ spectet utilitatem. ait enim, νόμος βούλεται μὲν εὐεργετεῖν βίον ἀνθρώπων· οὐ δυνάμενοι δ', ὅταν αὐτοὶ βούλωνται πάσχειν· ἐν τοῖς γὰρ πιθομένοις ἐνδείκνυται τὴν ἰδίαν ἀρετήν, id est, Volunt quidem leges vitæ prodesse hominum: non possunt autem, cum ipsi pati concupiscunt: in ijs enim qui sibi libenter parent, suam indicant virtutem. Est igitur legibus parẽdum dijque legitime colendi, vt boni nomi-

6

nis coronam Euripide iubente consequamur. ait enim,

Τρεῖς εἰσὶν ἀρεταὶ, ἃς σε χρὴ ἀσκεῖν, πάνυ,
Θεοὺς τε τιμᾶν, τούς τε θρέψαντάς σε γονεῖς,
Νόμους τε κοινοὺς Ἑλλάδος· καὶ ταῦτα δρῶν
Κάλλιστον ἕξεις στέφανον εὐκλείας ἀεί, id est, Tres sunt virtutes, quas te, fili, meditari oportet: deos colere, & qui te genuerunt parentes, legésque Græciæ communes: quod si hæc feceris pulcherrimam gloriæ coronam consequeris. Isocrates quoque deos inprimis esse colendos ait, idque cum semper, tum maxime coram vniuersa ciuitate faciendum censuit: quod ita & dijs sacra facere, & legibus parêre vno eodémque tempore videremur. Quæ aurea præcepta omnibus quidem summæ esse veneration[i] debent. nihil enim nobis recte cessurum spectandum, quod dijs inuitis & incœptum & peractum sit: quod ita esse nostri maiores rati, nihil vnquam inconsultis dijs incipere, nihil abnuẽtibus perficere voluerunt. Quod si Romanæ vrbis initia perscrutabimur, Romulũ deorum auspicijs, Numam sacris constitutis fundamẽta iecisse ciuitatis comperiemus: eósque omnes cũ apud ciues suos, tum apud externos maximę semper fuisse auctoritatis inuenienmus qui in deos pientissimi, ac magnificentissimi fuerint. quid enim, regnante Numa, finitimos vrbis incunabula tã iniquo animo ferentes, ne Romanis arma inferrent, cohibuit? nempe

illius ſanctiſſimi viri pietas, & in ſupplicijs deorum magnificentia. nullus enim ſe unquam ex eo bello victoriã conſecuturum ſperabat, in quo ſibi cum ſanctiſſimis ac religioſiſsimis viris, & à ſacrificijs cultuque diuino reuocatis atque amotis dimicandum eſſet. deos enim illis in prælijs affuturos haud dubitabant, qui ſibi eorum clementiã cultu tam ſeuero ac diligenti conciliaſſent. Quod & pericula docuerunt. Aulus nanque Poſthumius bello Latino dictator in prælio apud Regillum lacum commiſſo, haudquaquam ſuperior fuiſſet, ni iuuenes duo candidis equis, ac virtute inſignes in eo conflictu pro Romanis pugnaſſent: quos dictator Caſtorẽ ac Pollucẽ haud dubiè ratus communi titulo dedicauit. at contra qui religione cõtempta aliquid perficere conati ſunt, nonne acerbiſſimas luiſſe pœnas produntur? Publius enim Clodius primo Punico bello pullum iocum irridens, cum cauea liberati pulli non paſcerentur, mergi eos in aquam iuſſit, ut biberẽt, quando eſſe nolẽt. Qui riſus claſſe deuicta multas ipſi lachrimas, magnam reipublicæ cladem attulit. vnde condemnatus à populo eſt. Iunius collega Clodij eodẽ bello tẽpeſtate claſſem amiſit, cũ deorũ auſpicijs haud paruiſſet. quare ſibi mortẽ cõſciuit. Quid C. Flaminius nõne ob neglectã religionẽ magno Reipu. vulnere apud Thraſymenũ cecidiſſe à Cælio ſcribitur? quæ nos exẽpla docẽt, nihil eſſe nobis in de

orum contemptum auſpicandum. Rogabis tu ne fortaſſe hoc loco, quid ſit deus, vnde hoc nomẽ declinatum ſit, & ecquid veterum poearum quempiam unum tantum eſſe deum affirmantem oſtenderim. Deus eſt, ut ipſe cuius carmina interpretamur, Pythagoras ait, animus qui per vniuerſas mundi partes, omnemque naturam cõmeans, atque diffuſus, ex quo omnia quæ naſcuntur animalia uitam capiunt. Anaxagoras deum eſſe dixit infinitam mentẽ, quæ per ſeipſam mouetur. Antiſthenes multos quidem eſſe populares deos, unum tamen naturalem ſummæ totius artificem. Cleanthes & Anaximenes æthera dicunt eſſe ſummum deum. Chryſippus naturalem vim diuina ratione prẽditam: interdum diuinam neceſsitatem deum nuncupauit. Zeno diuinam naturam émque legem. Ariſtoteles vnam mentem mũdo præeſſe teſtatur. Plato qui omnium præſtãtiſſimus iudicatur, τὸν τῶν παντὸς κυβερνήτην μέγιστον δαίμονα ὀνόμασεν, i. omnium rerum gubernatorẽ maximum dæmonem appellauit. Thales Mileſius deum ait eam eſſe mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret. Cicero Tuſculanarum libro primo, Deus eſt, inquit, mens ſoluta quædam & libera, & ſegregata ab õni cõcretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno. Cum à Simonide quæſiuiſſet tyrannus Hiero, quid eſſet deus, deliberandi ſibi unum diem poſtulauit, cum idem

ex eo postridie quæreret, biduum petiuit: cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiráns que Hiero requireret cur ita faceret, Quia quanto diutius considero, inquit, tanto mihi res videtur obscurior. Quod autem ad nominis deriuationem attinet, ego deum ἀπὸ τῆ θεῖν deductum puto. est enim θεὸς Græce idem quod apud nos deus, dictúsque est ἀπὸ τῆ θεῶ, id est à videndo, quod ipse omnia contempletur & videat: nonnulli ab αἴθω quod est uro, deriuatũ volunt: alij à θέω quod est curro, quod omnia assequatur: quidam à θῶ, quod Latinè sonat acutè audio, quod inuocantibus præsto adsit: uel à θῶ quod est facio, quod omniũ sit auctor actionum. Apollodorus dictum θὼν, hoc est deum censuit, quod sit causa vt solis ac lunæ radij inspiciãtur. Sunt præterea qui deum nomẽ esse Latinum malunt, dictúmque, vel à dando, quia mortalibus omnia dat cõmoda: vel à desum, quod nihil ei desit: sed de etymologia satis. Quod autẽ veteres quoque vnum quidem esse deum, sed uarijs multiplicibúsque appellationibus pro eius numinibus denominatum censuerint, testes sunt, cum alij quam plurimi, tum in primis poetarũ celeberrimus Sophocles, qui de deo loquẽs ait, Εἷς τῆς ἀληθείαισιν ὃ; ὅστιν θεὸς, Ος οὐρανὸν ἔπυξε καὶ ταῖαν μακρὴν,

Πόντου τε χαροπὸν οἴδμα καὶ ἀνέμων βίας. Θνητοὶ δὲ πολλοὶ καρδίαι πλανώμενοι, Ηδρυσάμεθα πημάτων ψυχαγωγὸν, Θεῶν ἀγάλματ' ἐκ λίθων ἢ χαλκείων, H

χρυσοπύκτων, ἢ ἐλεφαντίνων τύπους, Θυσίας τε τούτοις καὶ καλὰς πανηγύρεις Στέφοντες, οὕτως εὐσεβεῖν νομίζομεν. horum uerborum ſenſus talis eſt, Vnus, ſi verum fateri uolumus, unus eſt deus, qui cœlum fabricauit, & longam terram, iucūdūque ponti tumorem, & ventorum violentias. mortales verò multi corde errantes, ereximus ad noſtrarum cladium ſolamen, deorum marmoreas, æneas, aut aureas, aut eburneas ſtatuas: ijſque & ſacra facimus, & ſolennia feſta celebramus: ita nanque nos pietatem colere arbitramur. Sed quid diutius in his moror, cum nulla ſit ferè gens tam feris moribus, tam barbaris inſtitūtis, quæ deos non nouerit, notos non ueneretur? Quin ipſæ quoque animantes uſu rationis carentes deos adorant. nā in Mauritaniæ ſaltibus ad quendam amnem, niteſcente luna nouā, elephantorum greges conueniunt, ibique ſe purificantes ſolenniter aqua circunſpergunt, atque ita ſalutato ſydere in ſyluas reuertuntur. Orygem appellat AEgyptus ferā, quæ exoriētem adorat caniculam. Quod ſit bruta quoq; animalia pietatem colere, deos uenerari pro comperto habemus, nōne hominem rationis ac conſilij participē pudeat, nullos fateri deos, nulla ſequi pietatis ac religionis ueſtigia? Scythaſque ac Galatas imitari, apud quos, ut ait Plutarchus, nulla ſit deorum mētio, nulla de diuinis hiſtoria memoratur: nam & iugulatorum hominum gaudent ſanguine,

& hoc demum exactiſſimum ſacrificium arbitrantur. Nullus eſt præterea qui Geticos mores conſuetudinemque deſpiciat, qui ut Herodotus ſcribit, dijs minitantes, in cœlū contra tonittua ac fulgura iaculātur. Quid enim turpius, quid homine indignius dici poteſt, quā vt Diagoras ille atheos, id eſt, vt ita dicam, impius, appellari? qui cum Samothraciam uenīſſet, dixīſſetque ei amicus quidā, Tu qui deos putas humana negligere, nonne animaduertis ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tēpeſtatis effugerint, in portumque ſalui peruenerint? Ita ſit, inquit: illi nuſquam picti ſunt qui naufragia fecerūt, in marique pericrunt. Exiſtimabat inſanæ mentis homo inferiora hæc à dijs immortalibus contemni, nec humanarū rerum quicquam cœleſtibus eſſe curæ credebat. quæ inanis ac futilis ſententia, cum à cæteris omnibus nationibus, tum imprimis ab ijs qui CHRISTI dei optimi maximi præcepta atque inſtituta ſequūtur, exibilāda atque explodēda eſt. Quis Chriſtiana religione imbut° Chriſtū deum noſtrū humana negligere ſibi poterit perſuadere, qui à ſacratiſsima illa ſede huc deſcēdere, tótq; pro nobis pati ſupplicia non recuſauerit? quare & unicum deum omniū rerum gubernatorē pientiſsime colamus, & patrias leges atque inſtituta ſeruare ſtudeamus. Quod ſi fecerimus, propitium nōbis ac beneuolū deū reddemus. ait enim Homerus,

Ος κε θεοῖς ἐπιπείθηται μάλα τ' ἴκλυον αὐτῶ. i. Qui dijs paret ab ijs valde exauditur.

Καὶ σέβου ὅρκον, i. Et iusiurandum uenerare. quo præcepto nil humanæ vitæ salubrius, nil vtilius à sapientissimo philosopho dari poterat. Iure enim iurādo nō seruato, nulla erit inter homines fides, nulla iustitia, nulla denique pietas. nā si iusiurandū maximè fide constat, eo neglecto, nōne negligitur & fides? quæ si, ut inquit Cicero, iustitiæ est fundamentum, sublata ex humanis fide, nōne & iustitia tollitur? quod si ut inquit Plato, iustitia erga deos pietas vocatur, contempta iustitia, pietas quoque contētatur necesse est. colendum est iusiurandū.

Επειθ' ἥρωας ἁγανούς. i. heroas deinde præclaros. Monet nos diuinus Pythagoras, ut heroas quoque colamus. Cęterū quinā apud ueteres heroes sint appellati, omnium primum uideamus: deinde & qui apud nos heroes appellari possint, & vndè heroes dicti sint exponere conabimur. Hesiodus, Iupiter, inquit, Saturnius quartum fecit heroum diuinum genus, ęquissimum, atque optimum, qui semidei nūcupantur: quorum alij apud Thebas Bœotias, Iliumque superbum grauissimo bello perierūt: pars vero iubēte Ioue, in maxima omniū rerū abundantia beatas incolūt insulas. Quare eosdem apud veteres heroas fuisse denominatos cōijcere possumus, qui apud nos diui nuncupantur, vt diuus Franciscus, diuus Stephanus.

ſua enim uirtute apud deū optimum maximū beatas ſedes adepti ſunt. Vndè autem hoc nomen deriuatū ſit, uariæ ſunt doctiſſimorū virorum opiniones. Alij enim dictos heroas arbitrātur ἀπὸ τῆς ἔρας, i. à terra: quod ſi ita eſt, omnes homines meritò heroes appellari poſſunt. nonnulli ἀπὸ τοῦ ἀέρος, i. ab aere, hoc eſſe nomen inclinatum uolunt, quod eorum animæ corporis carcere ſolutæ, in aere uerſentur, indéque hæc ſpeculentur inferiora. non deſunt præterea, qui heroas ἀπὸ τῆς ἀρετῆς, à virtute nucupatos cēſeant. Orpheus enim μητέρα δ' ἡρώων ἀρετὴν λέγει id eſt heroum matrem ait eſſe virtutem. Pars ἀπὸ τῆς ἐρᾶσθαι, i. à dilectione & coniunctione deorum deducūt: deos enim mulieribus iunctos aut deabus uiros, heroum genus procreaſſe fabulantur. Plato heroum nomen ab ἐρεῖν quod eſt dicere, inflexū eſſe cenſet, eo quod ſapiētes fuerint rhetores: nā heroes rhetores quidam & diſputatores eſſe vidētur. vnde ſophiſtarū quoq; genꝰ heroica ꝓples exiſtit.

Τύς τε καταχθονίους σέβε δαίμονας ἔννομα ῥίζων, id eſt, Et inferos dæmonas cole, legitima faciens. Dæmones M. Tullius Lares, Apuleius modo Lares, modo Genios appellat. Cum nō ignoraret Pythagoras, deorūm alios ſuperos, alios inferos appellatos, de cœleſtibus locutus nunc manes quoque ritè colendos docet: nec temerè, Legitima faciens, additum putes: alijs enī hoſtijs atq, ceremonijs antiqui ſibi īferos,

alijs ſuperos cõciliabant. Inferi enĩ pullis hoſtiis plurimũ oblectari credebantur: ſteriles præterea hoſtiæ inferis offerebantur, quod ipſi quoque inferi ſteriles eſſent, cum eximiæ ſuperis victimæ, totóque de grege lectę dicarentur.

Τὰς γονέας τίμα, ἀδὲ τ' ἄλλους ἐγγενεῖς, i. & parẽtes honora, & genere proximum quenque. Rectè nos quidem admonuit philoſophorum princeps Pythagoras, vt ſecũdũ deos immortales parentes veneraremur, quibus tantũ tribuendum eſt, vt Sophocles poetarum præſtantiſsimus dicere non dubitauerit, Νόμος γονεῦσιν ἴσον θεοὺς τιμᾶν εἶναι. quæ verba ſignificant, nobis parentes æquè ac deos colendos eſſe. nulla enim à liberis in parentes tanta officia proficiſci poſſe ſibi perſuadebat, quæ eorum in nos beneficijs reſponderent, niſi diuini quoque honores adderentur. nam, ut Quintilianus ait, perſolui gratia non poteſt nec malo patri. Phocylides quoque, qui vſquequaque ſanctiſſimis ſcatet præceptis, parentes poſt deos colendos præſcripſit. ait enim, Πρῶτα θεὸν τίμα, μετόπισθε δὲ σὸν γονῆας, i. Primum deos venerare, poſtea verò tuos parentes. quod profectò nemini eſt dubiũ. cui enim excepta diuinitate magis debemus quàm genitoribus noſtris? qui in nobis cùm educandis, tum erudiendis nullum declinauerint laborẽ, maioráque indies ſubeant diſcrimina, vt neceſſaria nobis ſuggerãt. Quod cum non ignoraret altiſsimi cõſilij vir Cori-

olanus, iniquæ patrię ſalutem maternæ pietati concedere nequaquam dubitauit: quo uno egregio facinore ſui memoriam in æternū prorogauit. Multa ſunt quæ ſuperiorem Aphricanum inſignem reddiderunt: ob ſingularem tamen in paterno diſcrimine pietatem maximè celebratū. Quid de L. Mālio Torquato? quid de M. Cotta dicam? quorum egregiam in parentes pietatē nulla unquam tacebit ætas. Solon ille Athenienſium legum lator interrogat⁹ cur nullum ſupplicium conſtituiſſet in eū qui parentem necaſſet, reſpondit, ſe id neminem facturum putaſſe. neq, enim vnquā fore ſuſpicatus erat, qui truculētas in eos præſertim manus exercerent, à quibus uitam accepiſſent. Proximum deinde quēque colendum cenſet: quandoquidem ita natura comparatum eſt, ut inter omnes homines ſit quædā ſocietas ac beneuolentia: maior autem, vt quiſque proximè accedit. unde fit vt ciues potiores ſint quā peregrini, propinqui quam alieni. merito igitur iure propinquitatis eſt proximus quiſque obſeruandus.

Τῶν δ' ἄλλων ἀρετῇ πρὸς φίλον ὅστις ἄριστος, Aliorū quoque optimum quenque tibi uirtute concilia. Cum genere propinquos ueneratione quadam proſequi nos debere Pythagoras oſtendiſſet, probiſſimum deinde quenque in amicitiā uirtute aſciſcendum commonuit. & rectè qui dē. ea enim amicitia, quæ uirtutis ac probitatis

fundamenta haud sortita est, cito dilabatur ac dissipetur necesse est. Nam cum triplici præcipuè de causa amicitiæ conciliari soleant, uoluptatis, utilitatis, ac uirtutis: ea demum firma ac stabilis veraque amicitia existimari potest, quę ab aliqua virtutis opinione profecta sit: qualis Scipionis ac Lælij habita est, Thesei & Pyrithoi, Achillis & Patrocli, Orestis & Pyladis, Phintię & Damonis, Epaminōdę & Pelopidę. Pulcherrima nāq; & maximè naturalis amicitia per se & propter se tātum expetēda est: nec est verus amicus appellādus, qui nō æquè in amicum atque in seipsum affectus sit, imo multa nōnunq̃ pro amico faciēda æquo animo sunt quę pro nobismetipsis nunquam facerem⁹. At qui vtilitatis cogitatione amicitias colunt, sublata vtilitate amici esse desinūt. quare summopere cauēdum est, ne in eiusmodi amicitias incidamus, quæ tum denique quam sint pœnitendæ sētiuntur, cum grauis aliquis casus nos eas experiri cogit. Est igitur Isocratis illud ī animo ac pectore habendum, Φίλους κτῶ μὴ πάντας τοὺς βουλομένους, ἀλλὰ τοὺς τῆς σπουδῆς ἀξίους ὄντας. quæ uerba Latinè sonant, Ne volentes omnes in amicitiam suscipias, sed eos tantum qui ingenio & moribus te digni extiterint. Quod si recte iudicare voluerimus, ueram amicitiam tria maxime expetere comperiemus, uirtutem vt bonum, consuetudinem vt dulce ac iucundū, vsum vt necessarium. nam cum iudicaueris, di

ligere oportet, ciúsque consuetudine oblectari quem amaueris, necnon cum vsus fuerit ad eius præsidium confugere: quæ fictis simulatisque amicitijs haud contingere solent. sunt itaque virtute pręditi nobis, vt diuinus ait Pythagoras, per uirtutem conciliandi, vt veræ ac solidę amicitiæ firmissima iaciantur fundamēta.

Γραεῖσι δ' εἶκε λόγοις ἔργοισί τ' ἐπωφελίμοισιν, id est, Benignis autem cede & pare sermonibus, operibúsque vtilibus. Paratis amicis eorum benignis admonitionibus esse parēdum docet Pythagoras. nouerat enim amicos sæpe monendos esse, & obiurgandos, & hæc omnia amicè accipienda, cum beneuole fiant. audienda est ènim veritas, nec obsequijs peccatis indulgentibus fidendum, quibus sępenumero in fraudē impellimur, agimúrque præcipites. vnde non absurde Plutarchus, ὥςπερ οἱ κόρακες παρεδρεύουσι τοὺς ἐπὶ νεκρῶν ὀφθαλμοὺς· οὕτως οἱ κόλακες τοῖς ἐπαίνοις τοὺς λογισμοὺς διαφθείρουσιν, id est, Quemadmodum corui cadaueribus insidētes eorum oculos effodiūt: sic adulatores laudibus blandíque assentationibus hominum mentes corrumpūt ac peruertunt. Non est igitur spernenda veritas, sine qua amicitia esse nō potest. quod si secus fecerimus, stultorum numerum augere nemini non videbimur. nam vt Hesiodus prudērer cecinit, Omnium sapientissimus ille non iniuria nuncupādus est, cui quod opus sit ipsi ueniat in mentem: proximè accedere,

qui alterius bene inuentis obsequatur: qui verò nec quid sibi maximè conueniat, excogitare poterit, nec aliorum bene inuentis obtemperauerit, is in infimo ac teterrimo hominum genere collocandus est. Igitur amicis recte nobis consulentibus haud secus auscultandum, ac dum nauigamus nauis gubernatori diligenter parêre consueuimus. Sunt quoque bonæ ac cõducibiles amicorum actiones imitandæ: nec quicquam quod à uirtute desciscere uidea tur, committẽdum, si ad extremam vsque ætatẽ amicitiam perducere cupimus.

Μηδ' ἐχθαιρε φίλον σὺν ἁμαρτάδος εἵνεκα μικρῆς,
Ὀφελδιών. δύναμις γὰρ ἀνάγκης ἐγγύθι ναίει, id est, Amicum propter exiguum aliquod peccatum inimicum ne facias: quod fieri à te poterit. potentia enim prope necessitatem habitat. Salutare præceptum, quo nos Pythagoras monet, ne amicum ob leue aliquod delictum deseramus. Ita enim fit, vt nostram in amicũ amicitiam futilem atque inanem fuisse ostẽdamus. quinetiam, vt Scipio dicebat, si minus fẽlices in diligendo fuimus, ferendum id potius est, quam inimicitiarum tempus cogitandũ. nam quo maior fuerit amicitia, eo grauiores exardescunt inimicitiæ: quo nil profecto turpius dici potest. quid enim fœdius quàm cum eo capitali odio disidêre, quicum familiarissime vixeris? ferendum est igitur quoad fieri poterit. quod si necessitas fortè ĩciderit vt amiciti-

as dimittere cogamur, consuetudinis remissio ne eiusmodi amicitiæ leuandæ erunt, ac potius diluendæ quã discindẽdæ. neq; enim necessitati resistere possumus. nam vt ait Æschylus, Τὸ τῆς ἀνάγκης ἐς' ἀδήμαντον σθένος, i. necessitatis uis inexpugnabilis est. & Sophocles, Τῆς ἀναγκαίας τύχης οὐκ ἔστιν οὐδὲν μεῖζον ἀνθρώπις κακόν, i. necessaria fortuna nullum est maius hominibus malũ: & ut in Græcorum prouerbio est, necessitati ne dij quidem obstant.

Ταῦτα μὲν οὕτως ἴσθι κρατεῖν σ' εἰθίζεο πᾶσι· Γαστρὸς μὲν πρώτιστα καὶ ὕπνου, λαγνείης τε καὶ θυμοῦ. i. Hæc quidem hoc pacto scias atque obserues. cæterum studendum tibi quoque est ventrem primum ac somnum uincere, libidinémque & iram. Ventri omnium primum obsistendum, atque imperandũ, ait Pythagoras. cibus enim haud modeste sumptus corpori pariter atque animo nocet, & quo pinguiorem aqualiculũ, eo minus solertem reddit mẽtem: & ut ait ille, γαστὴρ παχεῖα λεπτὸν νόον οὐ δίκτει, i, obesus vẽter mẽtem non parit acutam. Chares quoque de vẽtre hæc non incongruè, Γαστρὸς δὲ πειρῶ πᾶσαν ἡνίαν κρατεῖν. Μόνη γὰρ ὧν πέπονθεν οὐκ ἔχει χάριν. Ἀεὶ δὲ δ' δέονται ἐνδεῖται πλέον. Ὅστις δὲ μὴ γαστρὸς κρατεῖν ἐπίσταται, Τὰ πλείω τῶν κακῶν ἔχει κακά, i. omnem uentris habenam contrahere studeas. solus enim ob ea quæ percepit, nullam habet gratiam: plus autem quam par sit semper indiget: quicunque ventri temperare ignorat, malis

plura

plura habet mala. Crates quoque philosophus ad iuuenes scribens ait, ἐθίζεπ ἐσθίειν μάζαν, & πίνειν ὕδωρ· ἰχθύν τε καὶ οἶνον μὴ γεύεσθαι. ταῦτα γὰρ τοὺς μὲν γέροντας ἀποφηροῖ ὥσπερ τὰ φάρμακα τῆς Κίρκης· τοὺς δὲ νέους ἀποθηλύνει, i. Assuescite lactis & panis alimẽto vti, & aquam bibere, piscémque & vinum ne libetis quidem. hæc etenim senes quidem vt Circes veneficia efferant: iuuenes vero effœminãt. Est igitur in cibis ac potionibus temperantia ac frugalitate vrendum, vt libido quoque omníq; lasciuia extinguatur: ait enim Terẽtius, Sine Cerere & Baccho friget Venus. nam vt vino modice sumpto nihil est corporis viribus vtilius, ita nil aliud voluptatibus perniciosius, si modus absit. Quocirca ventri tantũ indulgendum, quantum bonæ valetudini satis sit, vt scilicet cibus famem sedet, potio sitim extinguat. estque, vt inquit Socrates, edẽdum ac bibẽdum ut uiuamus: non, vt quamplurimi faciunt, viuendum vt ventri inseruiamus. corporis enim sanitas in mediocritate humorum consistit, & à mediocritate conseruatur: superfluitas igitur corrumpit. Hinc ortum est & vulgare Prouerbium, Plures interficit gula quam gladius. Tragœdiarum nobilis scriptor Euripides, Infinitis, inquit, in Græcia malis existentibus, nullum est athletarum genere deterius, quippe qui ventri inseruiant & inutiles sint. Græcos quoque uniuersos reprehendit, quod ad huiusmodi hominum spectacula cõuenirẽt.

quis Astydamantis Milesij uoracitatem non contẽnit? qui ab Ariobarzane Persa ad cœnã uocatus, omnia se esurum quæ cunctis parauerat conuiuis, pollicitus est: idque permittente Persa re ipsa effecit. nam quæ nouem uiris parata fuerant, solus cæteris admiratione quadã spectantibus deuorauit. Quid utilitatis ex nimia ciborum appetẽtia, Cambles Lydorũ rex fuerit assecutus, Xanthus in Lydiacis memorat, quod adeo bibax fuit & vorax, vt vxorem noctu deuorauerit, & cum mane in ore suo eius manũ inuenisset, sibi manum cõsciuerit, Nicolaus Peripateticus in cẽtesima tertia historia scriptum reliquit, Mithridatẽ Põticum regem τῆς πολυφαγίας καὶ πολυποσίας certamẽ proposuisse, atque in vtroque superiorem fuisse, cum certaminis præmium argenti esset talentum. quæ victoria maiori tãto vtique regi dedecori fuit, quam quantas unquam à Romanis ducibus ac ceperit clades. Βοιωτίας ὗς hoc est, Bœotia sus in rudes ac penitus insensatos adagiũ est, quod Bœotij, vt Eubulus in Cecropibus, Mnesimachus in Busiride, Alexis in Trophonio, & Achæus in certaminibus testantur, uentri ac gulæ inseruientes crassa fuerint Minerua vnde Prepellus quidam ab Eratosthene, quid sibi de Bœotijs uideretur interrogatus, respondisse fertur, Ἐγὼ γὰρ ἄλλο ἢ ταῦτα ἐλάλουν, οἷα αὖ καὶ τὰ ἀγέλαια φωνὴν λαβόντα πόσον ἔκαστος χορεῖ. quæ verba significant eum fuisse Bœotiorum inter se ser-

monem, quo vasa, si loquendi daretur facultas, ut erentur, quantum scilicet vnusquisque esculenti poculentíve caperet. quo quidem sermone quid homini esse turpius potest? est enim pecorum, non eorum qui rationis participes sint, ventri inseruire. Aristo philosophus, Polemonem ait Academicum ad cœnam uocatos monere solitum, vt suaues non impręsens tantum, uerum etiam in crastinum biberent potiones. quæ quidem stolida exhortatio, nos vtique camelis similes reddere conatur. qui vt Plinius testatur, sitis patientissimi, cum bibendi data est occasio, in præteritum implentur, & in futurum. Quæ vini ingurgitatio ciborum que supra modum congestio quàm corporibus nostris sit pernicioſa, is demum non ignorabit quicunque illud Timothei Cononis filij dictū ī memoriæ thesauro reposuerit, qui tenuissima parcissimáque cæna in Academia à Platone acceptus, inquit, ὡς οἱ παρὰ Πλάτωνι δεῖπνήσαντες καὶ τῇ ὑστεραίᾳ καλῶς γίνονται, quæ uerba Latinè sonant, eos bene postridie ualere qui apud Platonem pridie fuerint cœnati. quare Hegisander in commentarijs retulit Timotheum postridie Platoni obuium factum dixisse, ὑμεῖς ὦ Πλάτων δεῖ δεῖπνεῖν μᾶλλον εἰς τὴν ὑστεραίαν ἢ τὴν παροῦσαν ἡμέραν, hoc est, Vos ô Plato melius cœnatis in sequentem, quàm in præsentem diem. Quis de Pythagoræ frugalitate ámbiget, cum & ipse cæteris frugalitatem præcipiat? & Lycō

Iasseus perquam modicis fuisse cibis contentum testetur? Aristides, Epaminondas, Phocion, Phormio imperatores parcissimi fuisse uictus produntur. Megacles de viris inclytis scribens, Μάριος, inquit, Κυρίων Romanorũ Imperator ἐπὶ χρυσιδί, hoc est in rapis degebat totum tempus. quare cũ ad eum Samnites aurũ misissent, Non indiget, inquit, auri, qui talia cœnat. Sunt igitur huiusmodi uiri in hac degenda vita nobis imitandi, si & ingenuis corporis viribus, & sana mente diutius frui concupiscimus. Somnus quoque modum excedens hebetat corpus, & à rectis actionibus nos prohibet: est præterea literarum studijs hostis acerrimus. Plato enim ait, ὕπνοι καὶ πόνοι μαθήμασι πολέμια, id est, somni & labores disciplinis hostilia. Quid enim dormientes facere quod laude sit dignum possumus, quum nihil à mortuo differamus? nam καὶ ὕπνος θανάτοιό ἐστιν, i. frater est mortis, ut diuinus testatur Homerus. Quod autem in rebus agendis summa sit vtendum vigilantia, idem Homerus his duobus versibus indicat. Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. Ὧι λαοί τ' ἐπιπειράφαται καὶ πόσα μέμηλεν, id est, haud decet totam noctem dormire consultorem uirum: cui & populi subiecti ac commissi, & tot curæ sunt. itaque somni, cibi, ac potionis sit desiderio naturali, non voluptate modus finitus: à lasciuia quoque ac libidine tẽperandum. nam quemadmodum concubitus ra-

rus corpus excitat, ita frequens ac nimius soluit. præcipit itaque Pythagoras huiusmodi voluptates ratione frænandas, & à libidine haud secus quam à sæuissimo tyranno fugiendum. Vnde Sophocles iam senior quum ab eo quæreretur, Rebus ne uenereis uteretur: Dij meliora, inquit: libenter enim istinc tanquam ex aliqua furiosa profugi dominatione. Quid de ira dicam? qua qui feruntur, è rationis potestate exisse merito dici possunt. Est enim ira, vt Ennius ait, insaniæ initium. Horatius quoque, Ira furor breuis est: animum rege, qui nisi paret, Imperat: hunc frænis, hunc tu compesce catena. Aristoteles quoque vir summo ingenio quantopere ira sit comprimenda his verbis docet, ὥσπερ καπνὸς ἐπιδάκνων τὰς ὄψεις οὐκ ἐᾷ σαφῶς βλέπειν τὸ προκείμενον ἐν τοῖς ποσὶν, οὕτως ὁ θυμὸς ἐμπίπτων τῷ λογισμῷ ἐπισκοπεῖ, καὶ συμβησόμενον ἐξ αὐτοῦ ἄπορον οὐκ ἀφίησι τῇ διανοίᾳ σαφῶς βλέπειν, i. Quemadmodum fumus oculorum aciem mordens, quæ ante pedes sunt inspicere haud permittit, ita rationem inuadens ira infuscat, & quod ex ea sit absurde casurum, cogitationem prospicere non sinit. itaque comprimenda, nec diutius in ea commorandum. nam quum à Ioue optimo maximo mortale corpus sortiti simus, cur iram immortalem facere contendamus?

Πράξεις δ' αἰσχρόν ποτε μήτε μετ' ἄλλου, Μήτ' ἰδίῃ, i. Turpe quid facias, nec cum alio nec tecum: Recte

nos quidem monet Pythagoras. nam si quicquam quod non sit efferendum, cum alio commiseris, fieri haud poterit quin aliqua emanent: vnde eueniet vt in maxima viuas infamia, summáque tibi discrimina impendeant. quòd si solus turpe quid in te admiseris, conscientia, quæ Sicula tormenta superat, uexaberis. nullus enim tanta flagitiorum oblectatione tenetur, quin interdum, immo quam sæpissime eorum conscientia mordeatur. cuius quanta vis sit his verbis ostendit Cicero iudices alloquens, Magna vis est conscientiæ, iudices, & magnam in vtranque partem, vt neque timeant qui nihil commiserint, & pœnã semper ante oculos uersari putent qui peccauerint. Est præterea hoc imprimis animaduertendum, posse vtique accidere, vt flagitij aliquid committens, homines lateas: at deum optimum maximum ne cogitationes quidem nostræ latebunt. Bene est igitur viuendum, ab omnique factorum ac cogitationum turpitudine abstinendum.

Πάντων δὲ μάλιστα αἰσχύνεο σαυτόν, i. Omnium maxime tui ipsius te pudeat. Optimum præceptum. nam cum verecundia impellente à vitijs nonnunquam desistamus, si nosmetipsos verebimur, eueniat necesse erit, ut à rebus perperam gerendis sæpe temperemus.

Εἶτα δικαιοσύνην ἀσκεῖν ἔργῳ τε λόγῳ τε, i. Iustitiam exerce re ipsa atq; verbis. Recte Pythagoras.

16

Quid enim humanę vitæ ſocietatem cõmunitatemque magis continet, quàm ut ne cui quis noceat niſi laceſſitus iniuria, reddamuſque vni cuique quod ſuum eſt: quæ munera profecto iuſtitiæ ſunt: cuius fundamentum eſt fides, i. dictorum conuentorumque conſtantia & ueritas. nihil eſt enim turpius magnóque viro indignius, quam ſi cum verbis facta non concordant: exerceri autem cum publicè, tum priuatim iuſtitia debet: Publicè, cùm in gerendis magiſtratibus ſine dolo malo ius dicimus, nihilque cuiquam aut inuidia adimimus, aut miſericordia addimus. qui affectus ab eo qui recte ſit iudicaturus quam longiſſime abeſſe debent. quis enim de rebus dubijs recte conſultabitur, niſi ab odio, amicitia, ira atque miſericordia uacuus omnino fuerit? nam qui poteſt animus verũ prouidere vbi hæc officiunt? Priuatim, cum nihil alienum occupamus, noſtriſque rebus tam exiguis quam ingentibus contenti uiuimus. In obſcuris quoque monimentis Pythagorici præcipiunt, Salem in vita apponendum, id eſt, in omni vita iuſtitiam exercendam, quod ea vt ſale, quam non immerito Cicero excellentiſſimam uirtutem nuncupauit, cuncta ſeruentur,

Μη δ' ἀλογίσως σαυτὸν ἔχειν περὶ μηδὲν ἐάζε
Αλλὰ γῶθι μὲν ὡς θανέειν πάντεσσι τεταγμένον ἄπασι.

Nec inconſulte ac temere rei cuiquam uacare ſtudeas, ſed omnibus mortem fato ſtatutam.

cognoſce. Nihil impręmeditatum aggrediendum eſſe Pythagoras docet. nouerat enim vir conſultiſsimus in rebus agendis ingenij ac cõſilij opes multo plus quàm virium valere, & priuſquam quicquam incipias, cõſulto: & cum cõſulueris, mature facto opus eſſe. nam ex ſententia quicquam ceſſurum ſperare non poſſumus, ni cogitatione prius quo modo ſit ſperãdum præmeditati fuerimus. Quod autem omnes ſimus deceſſuri, nihil opus erat vt admoneremur: quippe cũ nullus ſit quin domi mortalitatis exempla habeat. Cæterum cum animaduerteret nonnullis mortis trepidationem hinc oriri, quod futura nõ præcogitarent, mortémque non expectarent, ſed fruſtra miſeri fugerent, mortis expectationem noſtris animis inſidere voluit, vt eius acceſſum minus formidaremus. tela enim præmeditata, vt vulgo dicitur, minus lædunt. Etenim ſi ratione in hac re perpẽſanda vti voluerimus, quid eſt in morte quod ſit extimeſcendum, cum aut finis ſit, aut tranſitus? Si finis, quæ poſtea miſeria eſſe poterit? ſicut enim antequam eſſes, nulli ſubiacebas infelicitati, ita nec poſtquam eſſe deſieris. Si migratio, nobilitatur proculdubio animus, qui nuſquã tam anguſtè quàm in his corporis vinculis vrgeri poterit. Nam corpus hoc animi põdus ac pœna eſt: itaque rectè, & cum quotidiana mortis expectatione viuẽdum eſt. Lycurgus enim ille legũ lator dicere ſolebat,

Malo bene mori quàm turpiter viuere: & Sophocles, Θανεῖν κρεῖσσόν ἐστιν ἢ ζῆν ἀθλίως. Τὸ μὲν γὰρ εὖ κρεῖσσον ἢ τὸ ζῆν κακῶς, i. Multo melius est mori quàm misere vitam agere: nō esse enim quàm male viuere potius est. Meditemur itaq; mortē, & duce Platone philosophemur: est enī philosophia, vt Plato ait, mortis meditatio: quę cū sit vitiorum expultrix, est tum reliquarū virtutum donatrix, tum vel præcipuè iustitiæ, quæ nihil alieni sibi vsurpat. Quapropter nō incongruè quispiam, Quanto, inquit, morti propius accedo, tanto iustior fio. quare mortem imaginemur instantē, vt iusti euadamus. sed absq; ipsius mortis timore, ne vitę cursum pturbemus.

Χρήματα μ' ἄλλοτε μὲν κλᾶσθαι φίλῃ θήσοτ' ὀλέσθαι, i. Pecunias quandoque acquirere stude, quādoque perdere. Pecuniarum tantum comparandum, quantum & nostris, & amicorum cùm opus fuerit vsibus satis sit: nec omnino ijs studendum, vt thesauros terra conditos habeamus, quod penitus insani est ac mente capti. Quæ enim liberalitas, quæ munificentia in eo esse potest, qui pecunias & opes terræ, priùs quàm amicorum fidei credit? nulla profecto. Nā citius omnes desereret ac proderet, quàm numulum summæ detraheret. Omnis enim eius cogitatio, omnis spes, omnis denique oblectatio in defosso thesauro posita collocatáque est, nec vnquam fieri posse putat: vt saluo thesauro amicorum auxilio indigeat. Quod tum

demum haud rectè sensisse intelligit, cum aliquo fortunæ incursu è gradu deturbatur. tunc enī nec qui eius casum doleat, nec qui se exilij comitem præbeat, nec qui in calamitate mite sit solamen inuenitur. tunc odit pecunias, nec non & seipsum, quòd pecunias adorauerit, pluríque eas quam amicos fecerit. Quæ omnia Tyrannus ille Phalaris non ignorans, cum ad Aglaum scriberet, inquit, ὁκηδυσαύρικα μὲν τὸ πλῆθυ ὅσα παρέιχεν ὁ θεὸς εἰς μεταβολὰς τ̃ τύχης, ὐκ ὀν ἰδίᾳς κόλποις τ̃ης γ̃ης ὡς παρήνεις, ἀλλ' εἰς τοὺς βελτίονας τ̃ων φίλων τὰς δωρεὰς λαμβάνειν, id est, Quoscunque nobis largitus est deus thesauros, ad fortunæ mutationes exposuimus, non in sinu terræ, vt admonebas, sed in amicos qui à nobis munera accipere voluerunt. Nouerat enim vir non minus prudens quàm truculentus, nullos pecuniarum aceruos cum fidis amicis esse conferendos, nec alia de causa pecuniis comparandis inseruiendum, quàm vt per eas liberalitatē ac vitę splendorem ostenderemus. Quis enim nesciat idcirco, τὰ χρήματα πρωτεῖα, i. pretiosissimas honorificentissimásq; pecunias à Græcis appellari, quòd ad sumptus liberales ac munificentissimos instrumenta suggerant? nam Demosthenes τ̃ων δεόντων nihil sine ijs fieri posse Athenienses admonuit. Comparemus igitur bono modo pecuniarum tantum, quātum ad honorificè liberalitérque viuēdum satis sit. Eas verò nonnunquam etiam cōtemnamus.

nam interdum præstat damnum facere, quàm lucrum: & pecunias in loco spernere magnum est lucrum. Multi etiam præclari sapientia viri pecunias in profundum mare abiecerunt, vt liberius philosophiæ studiis vacarent.

Ὅσσά τε δαίμονες τύχας βροτοῖς ἄλγε', ἔχουσιν.
Ἧν ἂν μοῖραν ἔχῃς ἀφράδως φέρε μηδ' ἀγανάκτει, ex calamitatibus quas mortales fato patiũtur, eas sine indignatione æquo animo feras, quas sortitus fueris. Optime Pythagoras. quis enim ignorat se ad labores ac miserias genitũ, cum à lachrymis vitam auspicatus sit: quæ procul dubio calamitatum futurarum nobis indicio sunt. nam bone Deus quis est homo præter q̃ infirmitatis exemplum, temporis spolium, fortunæ ludibrium, varietatis ac mutationis imago, inuidiæ ac calamitatis receptaculum, reliquum bilis ac pituita. vnde ab Apollonio in Argonauticis illud mihi haud temere dictum videtur,

Ἀλλά γὰρ οὔ ποτε φῦλα δυηπαθέων ἀνθρώπων,
Τερπωλῆς ἐπέβημεν ὅλῳ ποδὶ σὺν δέ τις αἰὲι
Πικρὴ παρμέμβλωκε εὐφροσύνης ἀϊήν. Nunquam enim miserum hominum genus oblectationẽ toto pede conscendimus, sed aliqua semper amara nostris lętitijs intercędit ægritudo. nam vt ille ait, nullum est gaudium perpetuò datũ. Quare quo fata trahunt retrahúntque sequamur, & quum hoc meridiana luce clarius sit, mortalium neminem esse felicẽ, quicquid sors

tulerit, æquo est animo ferendum. nam secus facere, malum est malo addere. Bene igitur Pythagoras præcepit, vt sorte nostra contenti viueremus.

Ἰᾶσθαί σε πρέπει καθ' ὅσον δύνῃ, Sanare te ipsum oportet quantum potes. quod cum ad corpus, tum vel maximè ad animum referri debet. Nã quo animus corpore præstantior ac nobilior habetur, eo diligentior curatio adhibenda est, vt in perenni sanitate atque incolumitate conseruetur. quod tum demum fieri posse sperandum est, quũ philosophiæ præceptis bonísque artibus is imbutus fuerit: corpus autem in perpetua salubritate continebitur, si frugalitatis ac temperantiæ studiosi erimus, simplicémque cibum, quo nihil magis salutiferum est, appetemus: eáque exercitatione ante cibum vtemur quæ modum non transgrediatur.

Ὧδε δὲ φράζε, Οὐ παύλοις ἀγαθοῖς πόνων πολὺ μοῖραν δίδωσι, id est, Sic autem habeto, horum malorum scilicet haud multum bonis viris dare fortunam. Neque enim, vt Plato ait, bono viro mali quicquã euenire potest, nec viuo nec mortuo, neque vnquam eius res à Dijs immortalibus negligentur. Quòd si nonnunquã ideo miseri viri boni putantur, quòd domesticarũ rerum angustia premi videantur, hoc existimare debemus, nihil ad probos viros magis attinere, quàm cupiditates suas intra naturalia desideria continere, quæ exiguis admodum

obuiisque ac paratis contenta sunt. nec nos la teat haud facilè euenire, vt qui longe ditissimus locupletissimúsque sit, idem vir bonus esse possit. felicem enim simul & bonum aliquẽ fieri necesse est: quàm ditissimum verò atque optimum, impossibile. quòd si opibus affluentes minimè boni sunt, nec felix esse quisquam nisi vir bonus potest, supereſt vt opulentissimum quenque miserum esse credamus. Præstat igitur paupertatem quàm diuitias colere, quæ & bonos viros reddit, & propterea ab omni perturbatione securos.

Εἴρηξ σαυτόν, i. Teipsum comprime. O præceptum memoria & cogitatione quotidie repetendum. quid enim magis virum sapientissimum decet, quàm affectibus non obtemperare, qui vsque adeo nõnunquam præcipites homines trahunt, vt iracundia insaniant, luxuria efferentur, metu exanimentur, lętitia inaniter exultent, inuidia torqueantur, necnon & cæteris perturbationibus de statu felicitatis deturbentur? vnde difficilius esse seipsum quàm hostem vincere ex Apollinis Delphici oraculo editum esse credere par est.

Ψεῦδος δ' ἤν πέρ τι λέγηται, ἁρμόζου ἔχε. i. Médacij si quid dictum fuerit, benignè ac patienter feras. Docet Pythagoras Terentianum illud sequendum, Obsequium amicos, veritas odium parit. nam si confutare mentientes voluerimus, plures inimicos quàm amicos nobis cõ-

parabimus.

-Ὅδέ τι ἐρέεις, ἢδὲ τανὶ τελείω. i. Quicquid dixeris, omnino perficiẽdum ſtude. Aliud enim dicere, & aliud facere, nec cũ verbis acta concordare ſummæ leuitatis argumentum eſt, nec quicquam mihi magis vitãdum videtur, quàm quod à peſsimo quoque vſurpatur. qui dum in denegando pudore haud neceſſario detinentur, ea audent polliceri quę nũquam ſunt poſtea præſtaturi. cæterum quum promiſſa perficiendi tempus eſt, tunc neceſſario perfidiam ſuam aperiunt. Achilles ille Homericus, quanto illud hominum genus odio proſequeretur, his verbis optimè indicauit.

Ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀΐδαο πύλῃσιν.
Ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσὶν, ἄλλο δ' ἐίπῃ, hoc eſt,
Aĕquè mihi inimicus eſt is, qui aliud ĩ lingua promptum, aliud in pectore clauſum habet, ac Plutonis fores. Itaque dictis facta reſpondeãt oportet, ſi viri boni perhiberi cupimus.

-Τρῆξαι μηδ' εἰπεῖν ὅ, τι μὴ βέλτερόν ἔσσεται, id eſt, Quicquam nec dixeris, nec feceris quod te nõ ſit meliorem facturum. Salutare præceptum, & à quo ſapientiſsimus quiſque minimè recedit. Eſt enim prudentiſsimi viri, penſiculate quicquid agit agere, nec vllam omnino aggredi rem, quæ ſit paulo pòſt pœnitenda: dicendíque duo hæc tempora maximè obſeruare, vel cum de rebus ſibi recte cognitis dicẽdũ ſit: vel cũm loquendi neceſsitate vrgeatur. In his nan

que ſolis orationem ſilentio eſſe potiorem nō ignorat, ī reliquis verò tacere quàm loqui multo melius nouit. & quod maximi faciendū eſt dicenda tacendáque callet. 90

Βυλεύυ δὲ περὶ ἔργου, ὅπως μὴ μορξὰ πήσῃ, i. Priuſquam quid incipias conſulta, ne fatua peragas. Conſilio vtendum in rebus agendis docet Pythagoras. nam quæ conſulto maturéque aggredimur, quin rectè ſuccedāt vix fieri poteſt. Vnde Iſocrates, Βυλεύυ πολλὰ περὶ τῦ λέγειν ἢ πραγμάτων· ἡ γὰρ ἔξεις ἀδήλως καλέσασθαι τὰ λεχθέντα, i. Priuſquam quid aut dicas aut facias, diu cōſulta. neque enim dicta reuocandi dabitur facultas. quæ verò temere nullóque conſilio aguntur, malè eueniant neceſſe eſt.

Γνῶθι δὲ μηδὲν ὧν μὴ ἐπίστασαι, ἀλλὰ διδάσκου. Οσα χρεών, id eſt, nihil quod ignores facias, ſed diſce quæcunque oporteat. nam hoc pacto nihil non rectè ages. Quid enim poteſt rectè quod ignoretur agi? nec ſi quid te præterit diſcere erubeſcas tam diu enim diſcendū eſt quā diu neſcias, vel vt rectiꝰ dicā, quàm diu viuas.

Εὐθίζε δὲ διαιτᾶν ἔχειν καθάρειον, ἄθρυπτον, id eſt, lauta miniméque delicioſa vtere diæta. quod præceptum qui obſeruauerit, inueniet profecto nihil eſſe quod ad bonam valetudinē conſeruandam magis conducat. qua enim re Aſclepiades ille Pruſienſis cum fortuna ſponſionem facere auſus eſt, ne medicus crederetur, ſi vnquā inualidus vllo modo fuiſſet? ipſa

vna nempe qua tota vita sua vtebatur diæta. nam ventri gulęque tantum indulgebat, quantum necesse erat: cibisq; voluptati potius quã necessitati exquisitis nequaquam inseruiendũ censebat: quos corpori multos magis nocere quàm prodesse nouerat. Quid enim bonã valetudinẽ ocyus destruit, quàm nimia exquisitorum ciborum ingurgitatio, ambitiosáque fames, quæ paruo nunquã est contenta apparatu? Postea verò quam in dietę mẽtionem incidimus, quid sit diæta, & vnde dicatur paucis accipe. Diæta cœnaculum est in quo æstate cœnatur ad vmbrã, hyeme ad solem, quod & cœnatio dicitur. Varro ita appellatam existimat, quòd in ea die edatur. in hortis ferè ædificari solebat. hinc diætarij vocabantur qui in aliena cœnacula furandi gratia sẽ dirigebant, quos Vlpianus plus quàm fures scribit esse puniendos, Diæta etiam diarium hoc est vnius diei cibũ significat. Suidas, δίαιτα φησὶ τὸ διὰ τοῦ θεσθαι, καὶ τὸ ἐᾶσαι. ὅπου καὶ διαιτητής. σημαίνει δὲ τὸ διαγωγὴν, καὶ τὸ κρίσιν. Quibus verbis colligitur diætam pro iudicio, & diætam p arbitrio accipi debere, necnon & vitam, id est, victus legẽ ac tationem diætam significare: in quo significatu hoc loco accipere necesse est.

Καὶ φύλαξό γε ταῦτα ποιεῖν ὁπόσα φθόνον ἔχει, i. ea facere studeas, quæ inuidiam moueant. Quo præcepto vt virtuti incumbamus, bonísque artibus operam demus, nos Pythagoras monet:

neque

neque enim ignorabat vnā virtutem esse quæ & solidam felicitatem præstaret, & inuidiam propterea pareret. Quis enim miseris malisq; artibus imbutis inuidet? nemo profecto. vnde non immerito sola miseria carere inuidia dicitur: éstque in probris, Inuideas omnibus, inuideat tibi nemo.

Μὴ δαπανᾶν παρὰ καιρὸν, Μηδ' ἀνελεύθερος ἴσθι· μέτρον δ' ὅτι πᾶσιν ἄριστον, i. Nec sumptus importune facias, nec illiberalis sis. modus enim in oībus optimus. Effusam nimis prodigalitatem, tenacémque auaritiam fugiendam docet philosophus, mediúmque omnino tenendum, quod virtutis est. nam cum omnis virtus duorum extremorum sit, liberalitas quę inter prodigalitatem & auaritiam medium teneat locū, virtus dicenda est, quam tota mente amplecti debemus, quum præsertim duo eius fontes oppido quàm probabiles sint, verum scilicet iudicium, & honesta beneuolentia: quibus impellimur, vt in eos liberales simus, qui de nobis bene meriti sunt, quósque honestissimos amicos nouimus: tantúmque elargiamur, quantum facultates nostræ patiuntur. est enim prodigalitati atque auaritiæ renunciandum, quarum altera nimio plus quam satis est semper profundit, altera nec habendi fructu felix, & cupiditate quærendi miserrima, comparandis pecuniis modū imponere nescit: vnde Lucianus haud immerito hoc epigrammate illum appellat sa-

pientem, qui se intra sumptus ac parsimoniæ modum teneat.

Ὡς πεδηξόμβος τῆς σῶν ἀγαθῶν ἀπόλαυσε
Ὡς δὲ βιωσόμβος, φείδεο σῶν κτεάνων.
Ἐπὶ δ' ἀνὴρ σοφὸς ἔπος, ὃς ἄμφω ταῦτα νοήσας,
Φειδοῖ, καὶ δαπάνῃ μέτρον ἐφαρμόσατο.

Itaque medio tutissimus ibis.

Μὴ δ' ὕπνον μαλακοῖσιν ἐπ' ὄμμασι πρόσθε δέξαθαι
Πρὶν τρὶς ἡμερινῶν ἔργων πεῖς ἕκαστον ἐπιλθεῖν,
Πῆ παρέβην; τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐπλετο; εἶτα.

Nec somnum mollibus oculis prius inducas, quàm ter operum diurnorum singula animo percurras: quo profectus? quid egi? quid imperfectum reliqui? Hoc præceptum cum ad vitæ solertiam, tum vel maximè ad memoriam excolendam pertinet: quod Ciceroni vsque adeo placuit, vt in Catone maiore id laudauerit, & ex persona Catonis obseruauerit, Pythagoreorum, inquiens, more quicquid in die dixerim, egerim, audierim, commemoro vesperi. Aristoteles quoque præcipit egredientem domum agenda præmeditari, ingredientem actorum reminisci oportere.

Δειλὰ μὲν ἐκπονήξας ὄπιπλήσσεο· χρηστὰ δέ, πάρπτυ.

Timida ac turpia cum egeris, stupeas: cum verò honesta, læteris. Quæ proculdubio virtutis ac malitiæ præmia sunt: quid enim ex malis operationibus sceleratissimi ac turpissimi homines præter quàm malæ conscientiæ tormenta consequuntur? rursus nullum est perfectū gau

dium, ni à ſolida virtute proficiſcatur: nec vlla eſt maior oblectatio quàm bene actæ vitæ recordatio.

Ταῦτα πόνει, τοῦτ' ἐπιμελέεσθαι, τούτων χρὴ ἐρᾶν σε
Ταῦτά σε τὴν ἱερὴν ἀρετῆς εἰς ἴχνια θήσει.
Ναὶ μὰ τὸν ἀμετέρᾳ ψυχᾷ παραδόντα τετρακτὺν
Παγὰν ἀενάου φύσεως. Hæc elabora, hæc meditare, hæc te amare oportet, hæc te ad virtutis diuinæ veſtigia ducēt: ita certe per eũ qui animæ noſtræ perennis naturæ quaternum præbuit fontem. Hæc, inquit, ſi ſecutus fueris, te ad inclytam virtutis ſemitam perducēt: ídque iureiurando affirmat, deum teſtando, qui animam noſtram numero compoſuit quaternario. Pythagoras enim cauſas omnium rerum numeros cenſebat: quare animam quoque humanam numeris conſtare arbitrabatur: in qua opinione Xenocratem quoque fuiſſe Tuſculanarum libro primo docet Cicero.

Ἔρχευ ἐπ' ἔργον θεοῖσιν ἐπευξάμενος πλέσαι, id eſt, Ad opus faciendum accedas, cum dijs ſupplicaueris, vt id perficiant. Haud fugiebat Pythagoram immortales Deos omnia moderari, nihílque omnino eſſe quod numine diuino non gubernaretur. itaque nobis eos imprimis precibus conciliandos cenſuit, vt eorum benignitate ac clemētia quicquid auſpicaremur ex ſententia ſuccederet. nam quanto quis cœleſtibus obſequentius paret atque obtemperat, tanto ſibi magis præſentes experitur.

Τούτων γε κρατήσας,
Γνώσῃ ἀθανάτων τε θεῶν, θνητῶν τ' ἀνθρώπων
Σύας σιν, ἢ τε ἕκαστα διέρχεται, ἢ τε κρατεῖται, id est, Hæc cōsecutus cognoſces immortalium deorum, mortaliúmque hominum concordiam, quemadmodum ſingula pertranſeant & quēadmodum conſiſtant. Qua cognitione nihil homini gratius, nihil cōducibilius eſſe poſſet.

Γνώσῃ, ἦ ἧ θέμις ἔδὶ φύσιν ὡς περὶ πάντας ὁμοίως, id eſt, Cognoſces vt fas eſt, naturam in omni re ſimilem.

Γνώσῃ δ' ἀνθρώπους αὐθαίρετα πήματ' ἔχοντας, id eſt, Cognoſces autem homines ſpontanea habentes detrimēta, quod Delphico oraculo verius eſt: multo enim ſæpius mortales in clades ac calamitates ſua incurrūt proteruitate, quàm temere incidunt: quas quum æquo animo ferre non poſſunt, tunc fortunā ac deos incuſant, conuitiíſque lacerant: perinde ac ſi mala omnia diuinitus ipſis ingruerent, ac non maximā malorū partem ſibi ipſis procacitate ſua quærerent: quod ita eſſe Iupiter optimus maximus apud Homerum his verbis teſtatur.

Ὢ πόποι οἷον δή νυ θεοὺς βροτοὶ αἰτιόωνται.
Ἐξ ἡμέων γάρ φασι κάκ' ἔμμεναι, οἱ δὲ καὶ αὐτοὶ.
Σφῇσιν ἀτασθαλίῃσι ὑπὲρ μόρον ἄλγε', ἔχουσι. Quæ verba ſignificant, Mortales nonnunquam accuſare deos, quòd ab ipſis mala ſibi eſſe dicant, cum ſua ipſorum temeritate ſupra ſortem miſerias habeant. O te felicem Homerum, cui

ea ceciniſſe contigerit, quæ ne à Ioue quidem optimo maximo verius ac diuinius pferri potuiſſent: quid enim ſuperbum Tarquinium à regio faſtigio deturbauit? nempe efferati eius mores, carnifexque ingenium. Quid Hannibalis Carthaginenſium ducis ferociſsimos ac violentiſsimos animos contudit? nónne perfidia illa plus quam Punica, nullúſque deorum metus? Quid Carthaginẽſes ipſos, noménque Punicum deleuit? præfectæ proculdubio illæ Attilij Reguli palpebræ, ſtimulíque præacuti, quibus vigilantia ſimul & cõtinuo doloris tractu necatus eſt. Quid Aſſyriorum imperium ad Medos tranſtulit? Sardanapali mediusfidius effœminati penitúſque corrupti mores. Quid Manlium Capitolinum de ſaxo Tarpeio præcipitauit? penates diruit? bona publicauit? nimia profecto animi elatio, regníque affectati quam effrænata ſuperbia cõtraxerat ſuſpicio. Quid denique Romanorum ferè omnes principes precipites dedit? quid imperium ſecundum deos maximum confregit? deſidia videlicet pro labore, pro continentia & æquitate libido atque ſuperbia, & ex abundantibus voluptatibus per luxum atque libidinem percundi perdendíque omnia deſiderium. deſinamus igitur Deorum inſimulationem, & in quas incidimus ærumnas, non fortunæ, nõ ſideribus, non deorum denique voluntati, ſed noſtris aſcribamus delictis, noſtris imputemus

ſceleribus, voluntariáſque & flagitijs noſtris quæſitas calamitates nos continue pati non ignoremus.

Τλήμονες οἵ τ' ἀγαθῶν πέλας ὄντων οὐτ' ἐσορῶσιν,
Οὔτε κλύουσι· λύσιν δὲ κακῶν παῦροι σωίζουσι.

Τοίη μοῖρα βροτῶν βλάπτει φρένας, id eſt, Miſeri mortales, qui bona prope præſentia neque inſpiciunt, neque audiunt: malorum verò ſolutionem pauci admodum intelligunt: talis ſors mentes lædit. Mortalium conditionem contemplatus Pythagoras, eos imprimis miſeros appellat, qui bona quoque quæ adſunt, minime cernunt, nec quo pacto ſe malis eripiant animaduertũt, cum ſit viri prudentis, nõ quod ante pedes modo eſt videre, ſed etiam illa quæ futura ſunt proſpicere. itaque ſe è malis euoluere, vt fortunæ incurſus contempſiſſe omnino videatur.

Οἱ δὲ κυλίνδροις

Ἄλλοτ' ἄλλα φέρονται ἀπείρονα πήματ' ἔχοντες,

id eſt, Nonnulli cylindris ſimiles, modo huc modo illuc feruntur, maximos atque infinitos habentes dolores. Dij nos quaſi pilas homines habent, inquit Plautus, ꝙ nos in ſublime nunc iaciant, nunc ex altiſsimo dignitatis gradu ad infimum præcipites dent, nec in vna ſede diutius conſiſtere permittãt, ſed aut pilarum, aut, vt inquit Pythagoras, cylindrorum more, modo in hanc, modo in illã partem & proijciant & trahant, vt ſæpenumero honeſtiſsimos vi-

ros humi proſtratos, ſceleſtiſsimos ad ſummū faſtigium ſublatos videamus. vnde quàm veriſsimè Ariſto dixit, ἔοικεν ὁ βίος θεάτρῳ· διὸ πολλάκις χάριεσσι τὸν κάκιστον ἐν αὐτῷ κατέχουσι τόπον, i. Similis eſt vita theatro: hinc eſt quòd peſsimꝰ quiſque pulcherrimum in eo nōnunquam obtinet locum. quod vſque adeo verum ac notū eſt, vt nulla ſit regio, nulla ciuitas, quæ huiuſmodi exemplis nō pluſquam ſatis ſit abundet. quare non iniuria Diphilus dixiſſe fertur, Ἄφροσδόκητον οὐδὲν ἀνθρώποις πάθος. Ἐφημέρους γὰρ ἔχομεν τύχας κεκτήμεθα, hoc eſt, Nihil mali mortalibus inexpectatū. diarias enim, ac quotidie mutabiles poſsidemus fortunas. Apelles quoque ille nobiliſsimus pictor, cur ſedentem fortunā pinxiſſet, interrogatus, Nunquam enim ſtetit, reſpondiſſe dicitur, humanarum rerum volubilitatem atque inconſtantiam innuens, quæ incertæ variæque fortunæ nutu, vt multi exiſtimant, gubernantur.

Λυγρὴ γὰρ σύμπαδος ἔρις βλάπτουσα λέληθε,
Σύμφυτος, ὣν οὔ τις θεσπεσίῃ ἔπιτα φθύνῃ: id eſt, Triſtis enim comes inuidia nocēs latuit, ſimul cum homine nata, quam admittere haud decet, ſed accedētem fugere Duas eſſe eridas Heſiodus teſtatur: quarum altera æmulatio Latine, Græce ζῆλος appellari poteſt: quam merito σύμφυτον, id eſt, nobiſcum natam hominibúſque coætaneā exiſtimat. Quid enim aliud ſignificare voluit Heſiodus, cum hāc ex obſcu-

ra tenebroſáque nocte priuſquã altera exiſteret genitam cecinit? Quam & tempore & auctoritate multo hanc eſſe altera potiorẽ, quippe quæ ex illa indigeſta mole chaóque vna cũ homine orta ſit: omnia enim bona cum homine naſcũtur, mala verò aſcita accerſitáq; ſunt. hæc eſt quam amplecti fouereque debemus. ſola enim æmulatio agricolas laborioſos, ciues ſtudioſos, imperatores vigilantes reddit. nam & vicinus vicinum, figulus figulum, faber fabrum, poeta poetam, orator oratorem æmulatur. nihil denique eſt quod hoc certaminis genere homini melius eſſe poſsit: nam quid humanum genus ad bonas artes capeſſendas æmulatione magis impellit? Qua medius fidius optimus quiſque maiores ſuos gloria ſi ſuperare non datur, æquare ſaltem ſtudet. licet enim Homerus dixerit,

Παῦροι τὰρ πι παῖδες ὁμοῖοι πατρὶ πέλονται·
Οἱ πλέονες κακίους, παῦροι δέ τι παῖδ' ἀρείους, id eſt,

Pauci admodum filij ſimiles patri exiſtũt: plures deteriores, pauciverò patre meliores: æmulatione tamen virtutis quàm ſæpiſsime efficitur, vt à parentibus liberi non modo non degeneraſſe, ſed & eorum memoriam illuſtraſſe videantur. Altera eſt, quam vt Græci φθόνον, ita nos inuidentiam vocitabimus: hanc vt declinemus fugiamúſque monet Pythagoras, quàm licet Heſiodus multo æmulatione poſteriorem tradiderit, tamen σύμφυτον τοῖς ἀνθρώποις,

id est, vna cum hominibus geniram, testatur. Nouerat enim Pythagoras quod vulgo nunc quoq; dici soler, mala quàm bona facilius percipi, mentésq; humanas ad vitia quàm ad virtutes multo esse procliuiores. itaque τὴν κακὴν ἔριδα, id est, inuidiam generi humano coætaneam dicere nō dubitauit: quæ quam sit homini cum pernicioſa tum pestifera, Horatius his verbis testatur,

Inuidia Siculi non inuenere tyranni
Maius tormentum. Hippothoon quoque inuidiæ prauitatem non siluit. his etenim verbis in eā inuehitur, Φθόνος κάκιστος ⁊ ἀδικώτατος θεός. Κακεῖς τε χαίρει κἀγαθοῖς ἀλγύνεται, id est, Inuidia pessimus & iniquissimus deus. nam & malis gaudet, & bonis tristatur. At Democritus, φθόνος κάκιστος ἀρχὴν ἀναφαίζεται, id est, inuidia seditionis principium efficit. Quid Plutarchus de inuidia? nónne Pythagoræ astipulatur? ait enim, φθόνος ὃ ἀρχῆθεν συμφύεται ἀνθρώπῳ, id est, Inuidia ab initio nascitur cum homine: in eam itaque hacvti exclamatione libet, O inuidiam omnium malorum fabricatricem, mortis radicem, multiplicem morbum, cordis acutissimū aculeum? sed quid cordis potius quàm alterius membri stimulum dicam? quū Euripides vbinam in corpore sedem locauerit, se dubitare fateatur. ait enim,

Τίς ἆρα μητὴρ ἢ πατὴρ κακὸν μέγα,
Βροτοῖς ἔφυσε τὸν δυσώνυμον φθόνον,

Πού καὶ πότ' οἰκεῖ θώμαπος λαχὼν μέρος,
Ἐν χροὶν ἢ σπλάχνοισιν, ἢ πὰρ ὄμματα,
Ἔδ' ὑμῖν, ὡς ἰωμόχθος ἰατῆις μάγας.
Τομαῖς ἀφαιρεῖν, ἢ ποπῖς, ἢ φαρμάκοις
Γασῶν μιγίσπ πᾶσ' ἐν ἀνθρώποις νόσον, id est, Quæ nam mater aut pater malum magnum mortalibus genuit infamem inuidiam? vbi & quando corporis sortita partem habitat? in manibus an visceribus? an ad oculos est nobis? quã erat medicis labor magnus, sectionibus auferre, vel potionibus, vel medicamentis omnium maximum in hominibus morbum. Fugienda est igitur inuidia, vt & Pythagoræ audiẽtes simus, & vitæ tranquillitati consulamus.

Ξεῦ πάτερ ἢ πολλῶνπε κακῶνπε λύσας ἅπαντα,
Η πᾶσιν δείξαις οἵῳ ῷ δαίμονι χρῶνται, id est, Iupiter pater aut multis solueres mortales omnes malis, aut omnibus quo vtantur dæmone indicares. Quod si esset, nullus profecto non faustam ac felicem degeret vitam. omnes enim quid fugiendum quídque sequendum esset bono fauente dæmone planè teneremus: nũc verò incertis huc atq; illuc versamur casibus, cũ modo bono ac propitio dęmone subleuemur, modo maligno iniquóque deprimamur. quòd si virtutem bono aspirante dæmone complecteremur, solidam ac firmam sortiremur sedem. nam cætera omnia falsa, incerta, caduca, mobiliáque sunt. Virtus est vna altissimis defixa radicibus, quæ nulla prorsus vi labefactari

26

potest, nullo vnquam dimoueri loco. hęc gran dem cum vult, sibi comparat pecuniam, ingen tes assequitur honores, maxima parit impe- ria, hæc demum ad summum illud quod om- nia expetunt, bonum perducit.

Ἀλλὰ σὺ θάρσει· ἐπὶ θεῖον γένος ἔσθ' ἀνθρώποισιν
Οἷς ἱερὰ προφέρσα φύσις δείκνυσιν ἕκαστα, i. Sed tu cõfide, quandoquidẽ diuinũest mortalibus genus, quibus sacra offerẽs natura ostẽdit sin- gula. Nobis omnino bene esse sperandum ad- monet Pythagoras, cũ humana natura diuini- tatis sit particeps, per quam nihil tam arduum est ac difficile, quod non facilè consequa- mur. per hanc enim signiferi obliquitatem intellexisse, hoc est rerum fores aperuisse Ana ximander Milesius primus traditur, Olym- piade lviij. Signa deinde in eo Cleostratus, Sphærã ipsam ante multo Atlas, Prometheus τὴν γραμματικὴν φιλοσοφίαν adinuenit. vnde homĩ nes formasse, quòd rudes aliquos philosophiã docuerit, fabulata est antiquitas. Argus τὴν πυκνὴν ὄπισθεν excogitauit, inde quòd circun spectissim⁹ esset, oculeus habitus. per hãc om- nium penè naturæ rerum rationem reddide- re philosophi, hac adiuuante cœlestia cõtem- plari, terrena despicere discimus, hinc litera- rum inuentiones artiúmque ac disciplinarum omnium excogitationes duxere originẽ. Po- tuit ne vnquam vt grammaticen aliásque di- sciplinas omittamus, Astrologia absque vlla di

uinitate comprehendi? minime inquam minime. immo eius inuentores plus multo diuinitatis in se habuisse quàm humanitatis credendum est. itaque non immerito Ouidius Fastorum libro primo eorum ingentem virtutem admiratus ait,

Felices animæ quib⁹ hęc cognoscere primum
Inque domos superas scandere cura fuit.
Credibile est illos pariter vitijsque iocisque
Altius humanis exeruisse caput.
Non venus,& vinum sublimia pectora fregit,
Officiúmque fori,militiæque labor,
Nec leuis ambitio,perfusaque gloria fuco,
Magnarúmque fames sollicitauit opum.
Admouere oculis distantia sidera nostris,
Aetheráque ingenio supposuere suo.

Non est igitur desperandum,quin diuina quæ in nobis est ratione aspirante, possimus ea omnia quæ ad rectum viuendi tramitem spectãt, dignoscere.

Ων εἰ σοί πμέτεστι, κρατήσεις ὧν σε κέλθυω
Ἐξαιρέσας· ψυχὴν δὲ πόνων ἀπὸ τῶνδε σαώσεις, id est,

Quorum si fueris particeps,vinces,quæ te iubeo cum curaueris: animam autem laboribus ab istis liberabis. Est itaque summo elaborandum opere, vt horum, Pythagora suadente, fiamus participes, & quæ ipse imperat facilius exequamur. maxima enim ac diligenti adhibita curatione animam omni solicitudine atque anxietate soluemus.

Ἀλλ' εἴργου βρωτῶν, ὧν εἴπομεν, ἢ τε καθαρμοῖς,
Ἔν τε λύσει ψυχῆς κρίνων, id est, sed cibis tempera, quos diximus, inque purgationibus, inque animæ solutione diiudicans. quod cum necessariũ tum vel maximè saluberrimum est consilium, siue ad superiora id referat, siue fabam innuat: Pythagoricis enim interdictũ erat ne faba vescerẽtur, siue φ habet inflationem magnã is cibus, tranquillitati mẽtis quærenti vera cõtrariã: siue, vt apud Lucianũ Pythagoras fatetur, quòd Athenienses pro suffragijs fabis vterẽtur. nam quòd animatis abstinerent, quis dubitat?

Καὶ φράζου ἕκαστα,
Ἡνίοχον γνώμην στήσας καθύπερθεν ἀρίστην, id est, Et singula cõsidera, aurigã cõsilium optimũ præficiens. quod si fecerimus, nunquam à recta viuendi ratione aberrabimus: iudicio enim humanorum affectuum habenas continente, nihil non rectè administrari potest.

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα εἰς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς ἄμβροτος οὐκέτι θνητός, id est, Quod si, cum corpus reliqueris, ad purum æthera peruenies, eris immortalis deus, incorruptibilis, non amplius mortalis. O admirabilem aureorum carminum cõclusionem, qua docet Pythagoras hominum animos esse diuinos, ijsque cum è corpore tandẽ excesserint, reditum ad cælum patere: quem quidẽ optimo ac iustissimo cuique quàm expeditissimũ esse credẽdũ est: sunt itaq; optimi ac sapiẽtissimi philo

sophi præcepta memoriæ mandanda, omníque & tempore & loco seruanda, vt ad illam cœlestem sedem animus noster, quem Euripides quoque deum appellare haud dubitauit, aditum faciliorem consequatur.

PARISIIS,

Excudebat Guil. Morelius. 1555.